

un discurso, cuyas ideas se han impugnado anteriormente en mas de una ocasion ¹.

«Sí, fue una grande época, un periodo interesante y no completamente estéril en los anales del mundo, el que se extendió para nuestra Península por los siglos desde el V hasta el VIII. Fue una gran monarquía aquella cuyos gérmenes nos trajo Atilfo, que asentó Teodoro, que Eurico constituyó, que elevó tan alto Leovigildo, que sostuvieron con su ingente ánimo Chindasvinto y Wamba. Fueron unas respetables, ilustres, distinguidísimas asambleas, las de los Concilios Toledanos, por mas que la falta de contrapeso hiciese perjudicial el espíritu que en ellas dominaba ². Fue una gran nación la que venció á los romanos, rechazó á los hunos, sojuzgó á los suevos, y se estableció desde el Garona hasta las columnas de Calpe. Fueron una Iglesia y una gran literatura las que tuvieron á su frente á Ildefonso y á Eugenio, á Leandro y á Isidoro. Y fue mas grande aun que todos estos elementos que le dieran vida el célebre código, que nació en esta sociedad, que ordenó esa monarquía, que caracterizó esa época, que fue redactado por esos literatos y esos Obispos. Cuando faltas y yerros por una parte, cuando la ley de la naturaleza por otra acabaron con el pueblo y con sus monarcas, con los próceres y con los sacerdotes, con el poder y con la ciencia de aquella edad, el código se eximió justamente de ese universal destino, y duró y quedó vivo en medio de las épocas siguientes, que no solo le acataron como monumento, sino que le observaron como regla, y se humillaron ante su sabiduría.»

¹ Discurso preliminar del *Fuero Juzgo*. La última parte de este discurso, escrita por D. Fermín de la Puente y Apezechea, es menos violenta contra la Iglesia goda. Aunque no convenga con todas las ideas consignadas en este párrafo final, se reproduce aquí como una muestra de imparcialidad.

Puede verse tambien el párrafo final del tomo XI de Masdeu, en que recapitula todas las excelencias de la época goda.

² Hemos manifestado la grande influencia que ejercian los Reyes en la Iglesia goda y en sus Concilios, que era un contrapeso mas que suficiente á su influencia. Por lo demás, estas teorías de los equilibrios y contrapesos políticos, tan lindas en los libros, está demostrando la experiencia lo que valen en la práctica, y los hombres de bien no las escuchan ya sin una amarga sonrisa.

DOCUMENTOS JUSTIFICATIVOS.

APÉNDICE NÚM. 1.

Himno de Vísperas en la festividad de los siete varones apostólicos, según el Breviario Mozárabe.

(Copiado del Breviario Mozárabe al día 1.º de mayo, fol. CCXXXIV).

Urbis Romuleae jam toga candida
Septem Pontificum destina promicat
Missos Hesperiae quos ab Apostolis
Adsignat fidei prisca relatio.
Hi sunt perspicui luminis iudices
Torquatus, Tesifons, atque Hesicius.
Hic Indalecius, sive Secundus.
Juncti Eufrasio, Caecilioque sunt.
Hi Evangelica lampade praediti,
Lustrant occiduae partis arentia,
Quò sic catholicis ignibus ardeant,
Ut cedant fascibus furna nocentia.
Accis continuò proxima fit Viris
Bis senis stadiis, quã procùl insident,
Mittunt asseclas esculenta quaerere,
Quibus fessa dapibus membra reficerent.
Illic discipuli Idola Gentium
Vanis inspiciunt ritibus excoli:
Quos dùm agere fletibus immorant,
Terrentur potiùs ausibus impiis.

Mox insana fremens turba satellitum
In his cum fidei stigmata nosceret,
Ad pontem fluvij usque per ardua
Incursum celeri hos agit in fugam.
Sed pons praevalido murice fortior
In partes subito pronus resolvitur,
Justos ex manibus hostium eruens,
Hostes flumineo gurgite subruens.
Haec prima fidei est via plebium,
Inter quos mulier sancta Luparia
Sanctos adgrediens cernit et obsecrat,
Sanctorum monita pectore conlocans.
Tunc Christi famula adtendens obsequio
Sanctorum, statuit condere fabricam,
Quo Baptisterij undae patescerent,
Et culpas omnium gratia tergeret.
Illic Sancta Dei foemina tingitur,
Et vitae lavaero tincta renascitur.
Plebs hic continuo pervolat ad fidem,
Et fit catholico dogmate multiplex.
Post haec Pontificum chara sodalitas
Partitur properans septem in Urbibus,
Ut divisa locis dogmata funderent,
Et sparcis populos ignibus urerent.
Per hos Hesperiae finibus indita
Inluxit fidei gratia praecox:
Hinc signis variis, atque potentia
Virtutum, homines credere provocat.
Ex hinc justitiae fructibus inclyti,
Vitam multiplici foenore terminant,
Consepti tumulis urbibus in suis,
Sic sparso cineri una corona est.
Hinc te turba potens unica septies
Orata petimus pectoris abdito
Ut vestris precibus sidus in aetheris
Portemur socij civibus Angelis.
Sit Trino Domino gloria, unico

Patri cum Genito, atque Paraclito,
Qui solus Dominus Trinus et Unus est
Saeculorum valide saecula continens. Amen.

APENDICE NUM. 2.

*Aurelii Prudentii Clementis Viri Consularis Hymnus IV Peristephanon
in laudem decem et octo Martyrum Caesaraugustanorum.*

Bis novem noster populus sub uno
Martyrum servat cineres sepulchro,
Caesaraugustam vocitamus urbem,
Res cui tanta est.

Plena magnorum domus angelorum
Non timet mundi fragilis ruinam,
Tot sinu gestans simul offerenda
Munera Christo.

Quum Deus dextram quatiens coruscam
Nube subnixus veniet rubente,
Gentibus justam positurus aequo
Pondere libram.

Orbe de magno caput excitata
Obviam Christo properantèr ibit,
Civitas omnis pretiosa portans
Dona canistris.

Afra Carthago tua promet ossa
Ore facundo, Cypriane doctor,
Corduba Acisclum dabit, et Zoellum,
Tresque coronas.

Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Christo genitrix piorum
Tarraco, intexit cui Fructuosus
Sutile vinclum.

Nomen hoc gemmae strophio illigatum est,
Emicant juxta lapides gemelli,
Ardet et splendor parilis duorum
Igne corusco.



Parva Felicis decus exhibebit
Artubus sanctis locuples Gerunda,
Nostra praestabit Calagurris ambos
Quos veneramur.

Barchinon claro Cucufate freta
Surget, et Paulo speciosa Narbo
Teque praepollens Arelas habebit
Sancte Genesi.

Lusitanorum caput oppidorum
Urbs, adoratae cineres puellae
Obviam Christo rapiens, ad aram
Porriget ipsam

Sanguinem Justi cui Pastor haeret,
Ferculum duplex, geminumque donum
Ferre Complutum gremio juvabit
Membra duorum.

Ingeret Tingis sua Cassianum
Festa, Massylum monumenta regum
Qui cinis gentes domitas coëgit
Ad juga Christi

Singulis paucae tribus aut duobus
Forsàn et quinis aliquae placebunt,
Festibus Christi prius hostiarum
Pignore functae.

Tu decem sanctos revehes et octo
Caesaraugusta studiosa Christi,
Verticem flavis oleis revincta,
Pacis honore.

Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti,
Sola praedives pietate multa
Luce fruëris

Vix parens orbis populosa Poeni,
Ipsa vix Roma in solio locata,
Te decus nostrum superare in isto
Munere digna est.

Omnibus portis sacer immolatus

Sanguis exclusit genus invidorum
Daemonum, et nigras pepulit tenebras
Urbe piata.

Nullus umbrarum latet intus horror,
Pulsa nam pestis populum refugit,
Christus in totis habitat plateis
Christus ubique est.

Martyrum credas patriam coronis
Debitam sacris chorus unde surgens
Tendit in coelum niveus togatae
Nobilitatis.

Inde Vincenti tua palma nata est,
Clerus hinc tantum peperit triumphum,
Hinc sacerdotum domus infulata
Valeriorum.

Saevus antiquis quotiès procellis
Turbo, vexatum tremefecit orbem,
Tristior templum rabies in istud
Intulit iras.

Nec furor quisquam sine laude nostrum
Cessit, aut clari vacuus cruoris,
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit.

Nonne Vincenti peregrè necandus
Martyr, his terris tenui notasti
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua?

Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat suus, et paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.

Noster est, quamvis procul hinc in urbe
Passus ignota, dederit sepulchro
Gloriam victor, prope litus altae
Forte Sagunti.

Noster et nostra puer in palaestra
Artè virtutis, fideique olivo

Unctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.

Noverat templo celebres in isto
Octies partas, deciesque palmas
Laureis doctus patrijs, eadem
Laude cucurrit.

Hic et Eneati recubant tuarum
Ossa virtutum, quibus efferati
Spiritus mundi violenta virgo
Dedecorasti.

Martyrum nulli remanente vita
Contigit terris habitare nostris,
Sola tu morti propriae superstes
Vivis in orbe.

Vivis, ac poenae seriem retexis,
Carnis et cesae spoliū retentans,
Tetra quam sulcos habeant amaros
Vulnera narras.

Barbarus tortor latus omne carpsit,
Sanguis impensus, lacerata membra,
Pectus abscissa patuit papilla
Corde sub ipso.

Jam minus mortis pretium peractae est,
Quae venenatos abolens dolores,
Concitam membris tribuit quietem
Fine soporo supremo.

Cruda te longum tenuit cicatrix,
Et diū venis dolor haesit ardens,
Dum putrescentes tenuit medullas
Tabidus humor.

Invidus quamvis obitum supremum
Persequutoris gladius negarit,
Plena te martyr tamen ut peremptam
Poena coronat.

Vidimus partem jecoris revulsam,
Ungulis longè jacuisse pressis
Mors habet pellens aliquid tuorum

Te quoque viva.

Hunc novum nostrae titulum fruendum
Caesaraugustae dedit ipse Christus,
Tumba jugè viventis domus ut dicata
Martyris esset.

Ergo ter senis sacra candidatis
Dives Optato simul et Luperco
Perge conscriptum tibi met senatum
Pangere psalmis.

Ede Successum, cane Martialem,
Mors et Urbani tibi concinatur,
Juliam cantus resonet, simulque
Quintilianum.

Publium pandat chorus, et revolvat
Quale Frontonis fuerit trophaeum,
Quid bonus Felix tulerit, quid acer
Caecilianus.

Quantus Eventi tua bella sanguis
Tinxerit, quantus tua Primitivo,
Quum tuos vivax recolat triumphos
Laus Apodemi.

Quatuor post hinc superest virorum
Nomen extolli renuente metro,
Quos Saturninos memoral vocatos
Prisca vetustas.

Carminis leges amor aureorum
Nominum parvifacit et loquendi
Cura de sanctis otiosa non est
Nec rudis unquam.

Plenus est artis modus annotatas
Nominum formas recitare Christo,
Quas tenet coeli liber, explicandus
Tempore justo.

Octo tunc sanctos recolet decemque
Angelus, coram patre, filioque
Urbis unius regimen tenentes
Jure sepulchri.

Quin ad antiquum numerum trahentur
Viva post poenae specimen puella,
Morsque, Vincenti, cui sanguis hinc est
Fons et honoris.

Additis Gaio nec enim silendi,
Teque Crementi quibus incruentum
Ferre provenit decus, ex secundo
Laudis agone.

Ambo confessi Dominum steterunt
Acriter contra fremitum latronum,
Ambo gustarunt leviter saporem
Martyriorum.

Haec sub altari sita sempiterno,
Lapsibus nostris veniam precatur
Turba, quam servat procerum creatrix
Purpureorum.

Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, ut absolvam retinaculorum
Vincla meorum.

Sterne te totam generosa sanctis
Civitas mecum tumulis, deinde
Mox resurgentes animas, et artus
Tota sequeris.

APÉNDICE NÚM. 3.

Epistola de san Cipriano escrita al Clero y pueblos de España, sobre la causa de los dos obispos Basilides y Marcial. (Epist. 68).

1. Cyprianus, Caecilius, Primus, Polycarpus, etc. Felici Presbytero, et Plebibus consistentibus ad Legionem, et Asturicae: item Laelio Diacono, et Plebi Emeritae consistentibus, fratribus in Domino, S.

2. Cum in unum convenissemus, legimus litteras vestras, fra-

tres dilectissimi, quas ad nos per Felicem et Sabinum Episcopos nostros, pro fidei vestrae integritate et pro Dei timore fecistis, significantes Basilidem et Martialem libellis idololatriae commaculatos, et nefandorum facinorum conscientia vinctos, Coepiscopatum gerere, et Sacerdotium Dei administrare non oportere: et desiderastis rescribi ad haec vobis, et justam pariter ac necessariam sollicitudinem vestram vel solatio vel auxilio nostrae sententiae sublevari. Sed enim desiderio huic vestro non tam nostra consilia, quam divina praecepta respondent, quibus jam pridem mandatur voce caelesti, et Dei lege praescribitur, quos et quales oporteat deservire altari, et sacrificia divina celebrare.

3. Propter quod diligentè de traditione divina et Apostolica observatione observandum est, et tenendum quod apud nos quoque, et ferè per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui praepositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciae proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod et apud Vos factum videmus in Sabini collegae nostri ordinatione, ut de universae fraternitatis suffragio, et de Episcoporum qui in praesentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, judicio, Episcopatus ei deferretur, et manus ei in locum Basilidis imponeretur.

4. Nec rescindere ordinationem jure perfectam potest, quòd Basilides post crimina sua detecta et conscientiam etiam propria confessione nudatam Romam pergens Stephanum. Collegam nostrum longè positum, et gestae rei ac lascitae veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injustè in Episcopatum de quo fuerat justè depositus. Hoc eò pertinet ut Basilidis non tam abolita sint, quam cummulata delicta, ut ad superiora peccata ejus etiam fallaciae et circumventionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille cui negligentè obreptum est, quam hic execrandus qui fraudulentè obrepsit. Obrepere autem si hominibus Basilides potuit, Deo non potest, cum scriptum sit: *Deus non deridetur.* Sed nec Martiali potest profuisse fallacia, quominus ipse quoque delictis gravibus involutus Episcopatum tenere non debeat, quando et Apostolus moneat et dicat, *Episcopum oportet esse sine crimine quasi Dei dispensatorem.*

5. Quapropter cum, sicut scripsistis, fratres dilectissimi, ut et Fe-

lix et Sabinus Collegae nostri asseverant; utque alius Felix de Caesaraugusta fidei cultor atque defensor veritatis litteris suis significat, Basilides et Martialis nefando idololatriae libello contaminati sint, Basilides adhuc insuper praeter libelli maculam, cum infirmitate decumberet in Deum blasphemaverit, et se blasphemasse confessus sit, et Episcopatum pro conscientiae suae vulnere sponte deponens, ad agenda poenitentiam conversus sit, Deum deprecans et satis gratulans si sibi vel laico communicare contingeret: Martialis quoque praeter Gentilium turpia et luculenta convivia et collegia diu frequentata, et filios in eodem Collegio exterarum gentium more apud profana sepulcra depositos, et alienigenis consepultos, actis etiam publice habitis apud Procuratorem Ducenarium obtemperasse se idololatriae, et Christum negasse contestatus sit, cumque alia multa sint et gravia delicta, quibus Basilides et Martialis implicati tenentur, frustra tales Episcopatum sibi usurpare conantur; cum manifestum sit ejusmodi homines neque Ecclesiae Christi, neque Deo sacrificia offerre debere: maxime cum jam pridem nobiscum et cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius Collega noster, Sacerdos pacificus et justus, et Martyrio quoque dignatione Domini honoratus decreverit, hujusmodi homines ad poenitentiam quidem agenda posse admitti, ab ordinatione autem Cleri atque Sacerdotali honore prohiberi.

6. Nec vos moveat, fratres dilectissimi, si apud quosdam in novissimis temporibus aut lubrica fides nutat, aut Dei timor irreligi-
sus vacillat, ac pacifica concordia non perseverat. Praenuntiata sunt haec futura in saeculi fine, et Domini voce ac Apostolorum contestatione praedictum est, deficiente jam mundo, atque appropinquante Antichristo, bona quaeque deficere, mala vero et adversa proficere.

Permanet apud plurimos sincera mens, et religio integra, et non nisi Domino et Deo suo anima devota, et Christianam fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam, sed magis excitat et exaltat ad gloriam, secundum quod beatus Apostolus Paulus hortatur et dicit: *Quid enim si exciderunt à fide quidam eorum? numquid infidelitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Si autem omnis homo mendax est, et solus Deus verax, quid aliud Servj, et maxime Sacerdotes Dei facere debemus, nisi ut humanos er-

rores et mendacia relinquamus; et praecepta dominica custodientes in Dei veritate maneamus?

7. Quare et si aliqui de Collegis nostris extiterunt, fratres dilectissimi, qui deificam disciplinam negligendam putant, et cum Basilide et Martiali temere communicant, conturbare fidem nostram res ista non debet, cum Spiritus S. in Psalmis realibus comminetur, dicens: *Tu autem odisti disciplinam, et abjecisti sermones meos retro. Si videbas furem, concurrebas ei, et cum adulteris portionem tuam ponebas.* Consortes et participes ostendit eos alienorum delictorum fieri, qui fuerint delinquentibus copulati: sed et hoc idem Paulus Apost. scribit, et dicit: *Susurratores, detractores abhorrentes Deo, injuriosi, superbi, jactantes sui, adinventores malorum, qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, morte sunt digni, non tantum qui faciunt ea, sed et qui consentiunt eis qui haec agunt, quoniam qui talia, inquit, agunt, morte sunt digni.* Manifestat et comprobatur, morte dignos esse, et ad poenam venire, non tantum illos qui mala faciunt, sed etiam eos, qui talia agentibus consentiunt: qui dum malis et peccatoribus, et poenitentiam non agentibus illicita communicatione miscentur, nocentium contactibus polluuntur; et dum junguntur in culpa, sic nec in poena separantur. Propter quod integritatis et fidei vestrae religiosam sollicitudinem, fratres dilectissimi; et laudamus pariter et probamus, et quantum possumus adhortamur litteris nostris, ne vos cum profanis et maculatis Sacerdotibus communicatione sacrilega misceatis, sed integram et sinceram fidei vestrae firmitatem religioso timore servetis. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere.

APÉNDICE NÚM. 4.

Concilio de Elvira.

Cum convenissent Sancti et Religiosi Episcopi in Ecclesia Eliberitana, hoc est, Felix Episcopus Accitanus etc. Residentibus etiam XXXVI Presbyteris, adstantibus Diaconibus et omni plebe.

1.º De his, qui post baptismum idolis immolaverunt.

Placuit inter eos, qui post fidem baptismi salutaris, adulta aetate,